



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 11. S. Elisabethæ in S. Ioanne Apostolo, & aliorum in alijs Apostolis,  
patronorum loco, sortiendis, modi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



## §. XI.

*S. Elisabetha in S. Ioanne Apostolo, & aliorum  
in alijs Apostolis, patronorum loco, sor-  
tiendis, modi.*

Cuius rei exemplum, in vita quoque S. Surius 19.  
Novemb.  
Elisabethæ, quæ postea Landtgrauii fuit v-  
xor, legimus. Illa D. Ioannem Apostolum,  
præter ceteros, charum, sibi, patroni loco, dele-  
gerat, imitata pietatem Christianorum (ut  
refert Iacobus Montanus Spirensis) quibus  
singulatim eligere aliquem è cœtu Apostolico,  
quem familiarius clientum more colant, con-  
suetudo est. Ne tamen electionis euentu (ut  
assolet) incerto, quia sorte agebatur, alium,  
quàm Ioannem nancisceretur, præmissa ad De-  
um prece, effecit, ut quem summopere vole-  
bat, semel iterumq; ac tertio sortiretur. Cui-  
us voti compos effecta, adeò dilexit coluitq;  
adeptum, ut ob ipsius nomen meritumue ro-  
gantibus, nihil denegandum putaret. Est in  
hoc exemplo affectus erga Sanctum, Suf-  
fragium Sortis, & preces à Deo impe-  
trantes, ut Sortes temperaret; qua in re,  
multi hodièque sunt pij imitatores, dum-  
modo assuetudo non minuatur pietatem. Re- Carolus  
Abbas  
Anhusa-  
fert, in nondum edito libro, Abbas Anhu-  
sanus alios duos sortiendorum Sanctorum



mus. part.  
1. stēma-  
tis Chri-  
sti. die 24.  
Febr.

modos, Primus est, vt in latioris rotæ curuatura, seu orbe, Apostolorum, aliorumque Diuorum nomina scribantur, ac vnicuique nominum suus affigatur funiculus, extra rotam, eminens: Cuius ergo Sancti funiculus, impulsa in celerem circuitum rota, manu apprehenditur, is postea assumitur in cultum peculiarem. Alter eligendi, per fortis modum, ritus est, vt nomina Apostolorum (aut aliorum cœlitum) sub diuersis patinis, aut vasis temerè disponantur. Eum ergo Diuum, cuius quisq; nomē, sublata patina, aut vase, reperit, colit, præceteris, tanquam patronum sibi à Deo destinatum.

## §. XII.

*Sors à cantu fortuito, atque à cerna, & belli, & vadi, diuinitus Clodoneo data.*

Gregor.  
Turon.  
l. 2. hist.  
Francor.  
cap. 37.

Possunt & alij diuinæ voluntatis explorandæ modi inter *Sortes* computari, qualis fuit ille, quem Gregorius Turonensis recenset his verbis: *Chlodoneus rex ait suis: Valde moleste fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis, redigamus terram in ditionem nostram. Cùmq; placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu, Pictanos dirigit. Et paulò*